



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1649

§. 9. Recta fides, dum spirat, sperat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

Et, postquam tu amori meo odium reposuisti, per Angelum, per conscientiam, per fratrem tuum, per varios denique hominum piorum sermones, admonui, ut à scelerosa ista tua vita ad frugem, ad poenitentiam, ad ceteras virtutes redires. Omnia frustra. In lapidem duratus es: audire me noluisti. Quando igitur omnes monitiones meae in cassum ceciderunt, Et toties vocantem, toties contempisti; ecce huc veni, Et adsum, ut tibi indicem, filiū te esse aeternae damnationis. Sic dixit, & videri desijt; sed non desijt juvenis, immo jam demum coepit longè formidabilius trepidare, ac in sudore suo pæne natate; jam enim subibant mentē supplicia flammaram sibi accensa; jam aeternitas suppliciorum; jam tota rerum fluxarum vanitas; ebrietates, blasphemiae, detractiones, turpiloquia, detestandæ voluptates in tormenta nunquam desitura commutandæ.

Atque ita hoc caelestis Patris vaticinio percussus, quod reliquum erat noctis, totumque insequentem diem, sine somno, sine cibo, traduxit; plenus anxietate, desperatione, atque expectatione tristissimæ illius horæ, quæ eum, ex hac vita, eiecit, transmitteret ad merita supplicia funestissimæ aeternitatis. Talē nempe fructum parit *Acedia*, & spiri-

IX.
RECTA
FIDES,
DVM SPE-
RAT, SPE-
RAT.

spiritualium rerum neglectus, ut piger, quantum in se est, ipsa Christi merita inutilia, ipsa salutis adiumenta inania reddat. Si iuuenis iste, concionibus sacris, si pijs colloquijs diligenter interfuisset; si libellos asceticos volutasset, didicisset utique, ipsius Dei comminationes commonitiones esse, neque sine conditione pertinaciæ aut pœnitentiæ denunciari. Quare neque, post tam tremendum etiã Dei Patris fulmen, desperauisset: sed promtam in animo memoriaque habuisset diuinarum veritatem promissionũ, quas fides Christiana docet; quas Ecclesia in spem peccantium proponit; quas Prophetæ & Apostoli ad pœnitentiam confugientibus occinuerunt: sciuisset illud ad Ezechielem à Domino dictum. Tu, fili hominis, dic ad domum Israel: Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostre, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo viuere poterimus: Dic ad eos: Vno ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à via sua, & uiuat. Conuertimini, conuertimini, à vijs vestris pessimis: & quare moriemini, domus Israel? Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui: Iustitia inusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in qua-

quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua:
 & iustus non poterit viuere in iustitia sua, in
 quacunq; die peccauerit. Etiam si dixero iusto,
 quòd vita uiuat, & confusus in iustitia sua fece-
 rit iniquitatem: omnes iustitie eius obliuioni tra-
 dentur, & in iniquitate sua, quàm operatus est,
 in ipsa morietur. Si autem dixero impio: Mor-
 te morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo,
 feceritq; iudicium & iustitiam, & pignus resti-
 tuerit ille inopi, rapinamq; reddiderit, in man-
 datis uita ambulauerit, nec fecerit quidquam in-
 iustum: uita uiuet, & non morietur. Omnia
 peccata eius, qua peccauit, non imputabuntur ei.
 Hæc si cognita perspectaq; habuisset iuuenis,
 si non ad diuina, tanquam bos marinus, stu-
 puisset, etiam denunciata sibi æternæ dam-
 nationis sententiâ, in diuinæ clementiæ im-
 mensitatem sperauisset; cogitasset que, Deum
 mutare posse sententiam, si ille uellet mutare
 delictum. Sed nimirum desides non solùm
 piget operari, uerùm etiam, adeò à salutis
 uia abhorrent, ut eos pigeat quoque discere,
 quid sit operandum. Hinc oleum & opera,
 apud eos, perdita est. Hinc nomen Domini,
 hinc sanguinem Christi, hinc omnia Sacra-
 menta in uanum acceperunt.

Z

Qua-